

268* decore et ornamento naturæ pares disciplinae militaris expertissimi in armis strenuissimi et florentissimo inventutis corporis vigore existant, obquod verosimile nobis visum est, quod pro tam celebri conventu illustrando, suisque viribus in primis experiendis, consilium capient et se resolvent ad præclarum aliquid pedestri equestrique faciendum certamen et quocumque cum illis congredi ausuros provocabunt, declaramus et ordinamus, quod locus ubi dictus armatorum congressus fiet et strenuitatis experimentum capiatur deputabitur inter Ardre et Guisnes per commissarios hinc inde deputandos, assignandos, et illic, pro securitate personarum dictorum regum et illorum comitantium, prædictus locus erit fossa et aggere munitus et fortificatus et per parem armigerorum numerum respective protempore hinc inde deputandorum custoditus, et durante tempore dicti militaris decursus sive armorum ostentationis, dicti reges et reginæ cum suis utrumque comitatibus se poterint mutuo videre, familiariter conversari et colloqui et singulis diebus erga vesperam post militarem decorsum, armorum ostentationem, triumphos convivias, et familiaria colloquia peracta, uterque regum prædictus cum suo comitatu ad suum castellum redibit, videlicet dictus illustrissimus rex Angliæ ad castellum de Guisnes, et dictus Cristianissimus Francorum rex ad castellum de Ardre, et sic fiet de die in diem durante dicto militari discursu sive armorum exercitio.

Item, declaramus et ordinamus quod quando dictus illustrissimus rex Angliæ et serenissima eius consors et regina doageria Franciæ soror sua cum suis comitantibus ibunt in dominium et districtum dicti Cristianissimi Francorum regis, tunc dicto Angliæ regi, eius consorti reginæ et reliquis eos comitantibus superioritas et prææminentia quamdiu ibi fuerint et manserint respective dabitur, et pari modo quando dictus Cristianissimus Francorum rex, eius consors regina ac illustrissima domina eius mater cum suis comitantibus venient in districtum et dominium dicti illustrissimi Angliæ regis, tunc dicto Cristianissimo Francorum regi, eius consorti reginæ, matri quoque eius et reliquis eos comitantibus superioritas et prææminentia quamdiu ibi fuerint et manserint, respective pariformiter dabitur.

Item, quum castra et loca in quibus dictus conventus et congressus fiet sint adeo angusta ut si cunctis illuc accedere volentibus liber daretur aditus et veniendi facultas, variæ inquietudines et incomoda verisimiliter sequerentur, hinc est

quod nos Cardinalis prædictus, per præsentis declaramus, quod neutri dictorum regum seu eorum 269 reginæ aut aliqui proceres seu nobiles in eorum comitibus cuiuscumque status, gradus aut conditionis extiterint, venient ad dictum conventum cum maiore numero personarum aut equorum quamquam per litteras invitati manibus dictorum regum respective signatas, status et condiciones personarum mulierum tum virorum, numerum quoque servitorum continentes et equorum describatur et limitatur, nisi ex comuni dictorum regum expresso consensu pariter et licentia.

Item, quia fortasse continget dictos principes, eorum nobiles proceres ac familiares, ut eo mutuus accrescent amori in . . . firmiorque propagetur amicitia se se invicem visitari et familiariter conversari, idque ut commodius et tutius absque omni periculi suspitione, noctu inter diu libere facere possint prospicere cupientes, declaramus, et ordinamus, quod duo nobiles cum pari et equali comitiva ad hoc congruenti per utrinque dictorum principum respective assignandi deputabuntur ad itinerum custodiam, tutelam et excubias continue durante dictorum regum conventum diligenter observandas. Qui quidem nobiles cum sua comitiva spectatores et exploratores res ordinabunt et assignabunt ad valles, memora, oppida, villas, vicos, castella, passus, itinera et alia loca quocumque insidiis apta aut suspecta de tempore in tempus ac de hora in horam, tam versus Flandriam quam Picardiam, Artesiam et Angliam exploranda et speculanda, et si quos suspectos reperirent, arcendos ut submovendos, ut non solum dicti principes eorum nobiles et familiares quocumque tute secure libere se ut præfertur visitare possint, sed etiam comeatus et victualia dictis principibus necessaria deferentes quocumque absque perturbatione molestia inquietudine, tute et secure accedere et recedere valeant; teneanturque dicti exploratores singulis diebus mane et vespero dictis principibus seu eorum consiliariis respective referre quid compererint et quo statu itinera fuerint.

Declaramus præterea et ordinamus, quod omnes armati seu gentes armorum hinc inde ex parte utriusque principis, exceptis militibus ordinarie stipendiatis pro præsidii Calissia et Bolonia usque ad spacium itineris duorum dierum ad minus, sint di- 269* stantes et admoti, et nec ipsi nec aliqui alii durante dictorum regum conventu quovismodo propius accedere præsumant aut permittantur, absque expresso dictorum principum consensu et licentia.

Item, nos Cardinalis ante dictus, auctoritate no-